

DE SEQUENTI CANONUM COLLECTIONE

MAH MONITUM.

(*Spicilegium Romanum*, tom. VI, pag. 312-394.)

S. Anselmum Lucensem inter canonici juris consultos primum ponam, cui cum Gregorio amicissimo sit, ipsoque hortante, ut creditur, tractatum suum canonicum scripsit, in tredecim libros distributum, quo nullus ante ipsius saltem ætatem neque uberior, neque doctior, neque celebrior utiliorve creditus est; id quod ejus summaria nunc a me edita demonstrabunt. Age vero de hoc insigni Anselmi opere idcirco pauca ac prope nulla prefabor, quia de ipso cum alii plurimi locuti sunt, tum novissime vir cl. P. Augustinus Theinerus (*Disquisit. critic.* cap. 6 [1]) cujus infinitam canonici juris scientiam, ex antiquis fontibus haustam, quis exæquet? Atque is præclaram suam de Anselmi Collectione disputationem sic concludit: « Una tandem eademque virorum doctorum sententia est, ut S. Anselmi Lucensis collectio typis edatur. » Reapse Anselmum divulgare promiserunt vel cogitaverunt Lucas Wadingus, Lucas item Dacherius, Antheas Rota, M. A. Monsacratus, qui tamen omnes partim operis mole, quæ me quoque terret, partim aliis casibus a suscepto consilio depulsi fuerunt; quare Anselmus post tot de ipso deliberationes ac promissiones, intra forulos bibliothecarum mss. adhuc jacet. Et Vaticana quidem pontificis maximi bibliotheca septem saltem Anselmi codices servat, quorum duo perveteres sunt et auctori ferme coævi, quanquam undecimo libro de penitentia uterque caret, qui tamen a recentiore exemplari belle suppletur. His ego circumfusus Anselmi divitiis quid agerem? Si totum imprimendum typis committerem, otium mihi tanto operi, ut par est, adornando deerat. Infinitos enim ab Anselmo citatos canones, Patres veteres, juris etiam civilis auctores, ac varii generis testes, quis non videt, in suis quemque sedibus esse quærendos Lydioque lapide explorandos? ne, quod olim Gratiano accidit, molesta auctoritatum et operum confusio fletet, spuria etiam scripta cum germanis pari jure haberentur, quam certe in Gratiano colluviem vix magno labore ac vigiliis Ant. Augustinus, Romani correctores a pontifice maximo deputati, postremoque quatuor editis voluminibus Sebastianus Berardus, expurgarunt. Hæc igitur cogitanti mihi nihil interim aptius manifestando Anselmi operi visum est quam si plurimorum capitulorum rubricas seu titulos ad litteram hic describerem: neque enim, ut dixi, cunctas Anselmi partes complector, id quod ab instituto naturaque speciminis alienum est: præter quam quod in omni vetere vel gravi scripto nonnulla esse solent, quæ sine idoneis explicationibus effferri non debent. Utinam vero prologum operi Anselmus præposuisset, in quo procul dubio multa scitu digna futura erant! Veruntamen nullus hæcæsus coræx cum auctoris prolegomenis repertus est.

(1) Vide infra appendicem primam. EDIT. PATROLOGIÆ.

SANCTI ANSELMI

EPISCOPI LUCENSIS

COLLECTIO CANONICA

IN LIBROS XIII DISTRIBUTA.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI

Qui est de primatu et excellentia Romanæ Ecclesiæ.

1. Quod post Christum a Petro sacerdotalis ordo ^A cepit.
2. Quod sacrosancta Romana Ecclesia caput omnium ecclesiarum a Domino est constituta.
3. Quod beatus Petrus concessam sibi potestatem suis tradidit successoribus.
4. Quod præpositi non læduntur dum a fratribus propter justitiam odio habentur.
5. Quod Christum non recipit qui papam contristaverit.
6. Quod nec loqui debemus cui papa non loquitur.
7. Quod beato Petro a Domino concessum est cæteris præesse apostolis, ipsis volentibus.
8. Quod ad formam apostolorum facta est quedam distinctio episcoporum quibus tamen sedes beati Petri præeminet.
9. Quod Ecclesia Romana omnibus præest Ecclesiis, sicut beato Petro datum est præeminere cæteris apostolis.
10. Quod super unum, id est Petrum, ædificavit Dominus Ecclesiam suam